

^Q
^h
^{II}
CELEBR

Yd
1040

VM ALIQVOT VIRORVM

Epitaphia per Cyprianum Vom
melium.

X 1995756

CIVITATIS MAGDEBURGENSIS.

Ad Lectorem.

*Hæc dedimus uita functis foeliciter umbris,
Quas studium constat non reprobare pium.
Sit modo nostra tibi satis officiosa uoluntas,
Cui uitalis adhuc carpitur aura, bene est.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
ALLE
(SHALE)

M. D. XXXVII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



EPITAPHIVM DOCTISS. VI-
ri. M. Nicolai Pontani apud Magde-
burgenses liberalium artium
professoris.

PONTANI postquam ruperūt stamīna Parcæ
Conditur hoc paruo corpus inane loco.
Cui uiuō numeris astrorum prendere cursus,
Illorumq; minas prodere cura fuit.

Mortuus hic coram sublimia corpora cernit,
Luminibusq; notat singula præsto suis.

Nunc igitur motum multo foelicius omnem
Colligit, ac nostra cum frueretur ope.

Ambiguas hominum rationes ridet, ouatq;
Sc studij finem nunc reperisse sui.

εἰς δ' αὐτόν.

ὄλετο Νικόλεως ὃς θεῖα μαθήματα ἵδρι,
καὶ βίβλους ἰδρας τοῖ μεγάλοιο θεῖ.

Δάκρυα τίς λέξῃ ἀδὲ μήτηρ ἐκβαλ' Αθλίωα

ὣς εἰδ' ἀν γοισὸν παῖδ' ὃς ὄλεθρον εἶπ'·
αὐτὴν, ἵψ' Idem. εἰδ' εἰ, ἕχρη

Nικόλεως obiit cui cognita dia Mathesis,
Atq; Panomphei scripta Tonantis erant.

Quis lachrymas memoret, quas fudit alumna Minerva,
Ut didicit sobolis funera mœsta suæ?

Epitaphium clariss. uiri, atq; exquisi-
tissimi Mathematici Ioannis
Carionis.

Te

postq; cogn-
uit, intel-
lexit s.
didicit .

Te quoq; Parcedrum prostravit Cario turba?
Et nunc in tumulo corpus inane iaces?
Heu tristes fati leges, heu casus acerbus,
Sors homines miseros ut truculenta premit.
Tu coeli motus, coeli tu sydera noras,
Quidq; minarentur singula, certus eras.
Non te bella fouens Gradivus operta fefellit,
Iraq; falciferi tecta latensq; senis.
Iuppiter ipse sua iaculatus fulmina dextra,
Sæuijt indicio proditus ante tuo.
Ac ut diuorum mens, astra, polusq; rotundus,
Climata sic terræ nota fuere tibi.
Nec solum spacium, sed & interualla locorum,
Quæq; rigant campos flumina, doctus eras.
Atq; ita iam tellus fuerat, subiectus & æther,
Tartara restabant sola domanda tibi.
Non potes infœlix, rumpit tua stamina uictrix
Atropos, & uicto te sibi dira placet.
Quò diuinarum nunc tanta scientia rerum?
Tot curas quorsum sustinuisse iuuat?
Obruit una tuos lachrymabilis hora labores,
Et perit ingenij uisq; decusq; tui.
Atropos immittis, crudelis, auara, cruenta,
Non poteras tanto non nocuisse uiro?

Aliud.

Hac requiescit humo scrutator Cario diuûm,
Qui fera dum nobis bella timenda uidet.

A ij

Inq;

Inq; truces Gallos, aquilas prædiscit ituras,
Armaq; moturos sanguinolenta Getas.
Concitus ingenti curarum fluctuat æstu,
Et sua tabifico corda dolore coquit.
Ast ubi forte cupit positis hilarescere curis
Liberius libat pocula plena mero.
Mens assueta malis, ut erat recreata, repente
Ne ruat in ueterem, transit ad astra, statum.

Aliud.

Venturos uiuus potui prædicere casus,
Mortuus hac tumuli Cario mole premor.
Aspice quàm uaria mortalia sorte ferantur,
Aethera complexus qui modo mente fui.
Nunc ego prostratus tenuem componor in urnam,
Sic etiam cecidit, si modo uixit, Atlas.
Epitaphium primariæ atq; integerrimæ
matronæ Margaretæ à Blancfeld con
iugis Doctoris Leuini Syndici
Magdeburgensis.

Hac factururus iter uultu percurre uiator,
Quæ sunt in tumulo carmina scripta breui.
Hic lapis exiguus matronæ membra pudicæ
Abscondit, socij uulnera sæua thori.
Edita qua fuerit, quæris, patriaq; domoq;
Cuiq; pio thalami foedere iuncta uiro.
Fertilis hanc clara generarat Marchia stirpe,
Quæ niuei campi nomen adepta tenet.
Sed spectata fuit potius consorte Leuino,

Atq;

Atq; animi propria nobilitate sui.
Doctus honorati præcepta sacerrima iuris,
Et rerum sapiens usibus ille uiget.
Hæc fuit exemplum uitæ mentisq; modestæ
Inter Parthenicas gloria prima nurus.
Postquam dijs placuit iungi uirtutibus æquos,
Hos thalami casti iura subisse reor.
Cum primis tali dignus fuit ille marita,
Coniuge nec tanto dignior ulla fuit.
Viuerè debuerat uitam sine fine beatam,
Nec nisi post longum tempus uterq; mori.
Illa sed extincta est, & adhuc florentibus annis,
Cum fuerat decima prole futura parens.
Vxorem coniunx, charam flent pignora matrem,
Ipsa nihil, Christi iam noua nupta, dolet.
Vtq; uiro ueteri bene sit natisq; relictis
Obsecrat æternum supplice uoce patrem.
Aliud autore doctiss. uiro Bertramo Da
miano Brunopolitano.
Margaris à decima coniunx Emdemia partu
Occidit, ab matrem prole necante suam.
Epitaphium clarissimi uiri Nicolai Sturm
Consulis Magdeburgensis.
Nomen ab ingenti qui tempestate trahebat,
Νικόλεως moriens hac tumulatur humo.
Consul hic unanimes patriæ moderatus habenas,
Cum summo tantum gessit honore decus.
Semper enim cavit ne publica uincula legum

A ij Solueret

Solueret effrenis turba furore suo.
Cymbaq; iusticiæ ne ui conuulsa iaceret,
Neu scopulos peteret, maxima cura fuit.
Scilicet illustri proauorum stemmate natus,
Nil gerit indignum stirpe domoq; sua.
Nec tamen ob titulos & nomina clara parentum
Se reliquis unquam præposuisse cupit.
Urbe sed in patria iuris ditione potitus
In se, non alios imperiosus erat.
Temperat ipse suos mores moderamine summo
Affectusq; domat qua ratione potest,
Nec finit ut uitijs mundi fallacibus huius
Deformi casu, mens temerata ruat.
Sed fuit assiduus uirtutis amator honestæ
Sectatus wigili pulchra labore fuit.
Vtq; gubernator fidos nautasq; peritos
Deligit ante, sua quam mare classe, secet.
Haud secus ipse sibi proceres adiunxerat illos
Quorum res posset publica Marte regi.
Nec prius ad patriæ tractanda negocia mentem
Adiicit, illorum quam documenta sciat.
Quæ sibi proposuit complexus mente fideli,
Omnibus in rebus consilijsq; sequi.
Ipse etiam causas uersat sapienter agendas,
Singulaq; expendit mente sagace prius.
Nec quicquam rerum minimarum destinat ante,
Quam status exacte cognitus omnis erat.
At quæ decreerat mox perficit omine dextro,

Inq;

Inq; semel placitis est mora cuncta grauis.
Si dictatorem nostro cum consule fas est
Conferri, Fabio proximus ille fuit.
Quod si forte tamen casu dubitaret in ullo,
Ingenio leuiter perspiciente suo.
Auribus attentis audiuit recta monentem,
Nullius idq; illi causa ruboris erat.
Insuper auscultat purgatis auribus illos,
Iudice se quorum lis dirimenda foret.
Ne de iusticia sententia dicta recedat,
Salusq; consistant iura uigore suo.
Custodit leges habito discrimine nullo,
Non illum mutat gratia siue fauor.
Et quamuis aliquem sibi cognouisset iniquum
Non tamen hunc uoluit iuris habere minus.
Norma sed ut iusti pariter seruetur amicis,
Et male contentis inuiolata, facit.
Quasq; tulit populo leges studiosius omnes,
Esset ut exemplo ciuibus ipse tenet.
Vtq; uideretur pater & non esse Tyrannus,
A se propositum sponte subibat onus.
Rursus prauorum consortia noxia fugit,
Crimina ne uitio sint aliena sibi.
Nec dictis hominum cessit pellacibus aures,
Fucati uultus strenuus osor erat.
Ac licet afflueret multarum copia rerum
Spes super hac illi nulla locata fuit.
Verum propitijs animis suscipit egenos

Et cum

Et cui paupertas cumq; molesta fuit.
Afflictis nam se talem præbere laborat,
Erga se qualem postulat esse Deum.
Præcipue uero si quem Permessidos undas
Addictum Musis, sumere uelle uidet.
Huius conatum remis uelisque iuuare
Nititur, huic largas suppeditauit opes.
Ante tamen cunctos fuit addictissimus illis,
Qui latices sitiunt ore patente sacros.
Quiq; sacerdotis statuissent munus obire,
Et populum Christi iussa docere pium.
Hijs, scopus unus erat, prompto seruire labore,
Quod sacræ fidei perstudiosus erat.
Et iam confectus curis, maturus & æuo,
Morte manus celeres iniiciente, cadit.
At dictu mirum quàm gratus terminus illi
Adueniens, uita deficiente fuit.
Namq; sibi uiuo cum persuasisset in omnes,
Aspera tantundem fata ualere uiros.
Nec tantum tenues mortem pulsare tabernas,
Sed quoq; regnorum præcipitare duces.
Deniq; non opibus parci, nec honoribus ullis,
Annosa uerum cuncta perire mora.
Ante diem fati supremum transtulit amplas
In coelum gazas, pro pietate sua.
Et quibus adiutis tribui sibi munera Christus
Asserit, ijs crebro dona benigna tulit.
Sic etenim dominum se rerum censuit esse,

Vt tamen

Vt tamen & Christi seruus ubiq; foret.
Vtq; gradus summos qui scandunt ordine scalas,
Ni teneant, sumunt otia nulla sibi.
Haud secus hic auctor fuit indefessus honesti,
Virtutumq; alacer continuauit iter.
Quare non dubie cœli nunc arce potitus
Gaudet, & æterna pace quietus agit.

Aliud.

Nicolaus patrium nactus de turbine nomen,
Conditus hic iaceo, qui modo consul eram.
Si quæsitâ salus ciues me præside uestra est,
Nunc orate, quies ne sit acerba mihi.
Epitaphium celeberrimi uiri Caspari Clug
Consulis Magdeburgensis.
Dentibus usque adeo mors omnia corripis atris?
Vt rabiem uirtus sentiat ipsa tuam?
En iacet extinctus fato Casparus acerbo,
Vnica spes patriæ præsidiumq; suæ.
Liber ab interitu cultor si uiueret æqui,
Nestoris hic annos uincere dignus erat.
Consilijsq; suis & dexteritate regendi,
Perpetuus nostra consul in urbe foret.
Sed uictus morbo cecidit, sanctosq; suprema
Exemplo docuit fata manere uiros.
Et sua iam moriens tumulari corpora iussit,
Hic ubi congesto cespite terra tumet.
Aspice quàm uario ludat fortuna fauore,
Quamq; agitet miras fors uariata uices.

A V

Vir

Vir fuit hic modica natus de stirpe domoq;
Exiguusq; hæres à patre cepit opes.
Nec cognorat adhuc fortunæ dona benignæ
Proditæ post uitæ bis tria lustra suæ.
Sed matura uirum postq̄ perfecerat ætas,
Inq; graui prudens corpore pectus erat,
Inuigilat cura mutandis mercibus omni.
Mercurij facilis non male fretus ope.
Atq; ita propositi studij successibus usus,
Mirantis populi multus in ore fuit.
Fortunæ uirtus etenim promotæ fauore,
Ex facili clarum nomen habere potest.
Mox igitur rebus lautis, famaq; probata,
Consulis, electus, nobile munus obit,
Si fortuna uiri quum prospera cuncta feruntur,
Et postq̄ manibus sunt data sceptræ, patet.
Hic fuit exemplum solidæ probitatis honestum,
Et totus niueo pectore candor erat.
Namq; magistratus claris insignibus aucto,
Haud aliquem fastum contulit ullus honor.
Omnibus at mentem seruauit casibus æquam
Omnibus ex æquo eomis ubiq; fuit.
Non tamen authorem sceleris dimisit inultum
Turpia sed iusta uendicat acta manu.
Innocuos iuuat ciues, & fouit egenos
Assidua cura, muneribusq; datis.
Nil in iudicio nisi quod sanctissima iuris
Regula præciperet, fuit habere locum.

Otia si

Otia si curæ tribuissent parua forenses,
Consumpsit sacros illa legendo libros.
Aut si prece fide diuinus Christide plebem
Formaret, docili pectore promptus adest.
Hinc igitur fidens animi, constanter in ipso
Articulo mortis, talia dicta refert.
Christe iuua ueniens, mihi tu potes unus adesse,
Tu mea spes, contra Tartara nigra uales
Eripe me mundi uitij, noctisq; Tyranno
Inq; patris summi fac penetrare domum.

Aliud.

Hoc terræ cumulo Caspari membra teguntur,
Qui nostra uerus consul in urbe fuit.
Nam non ætatem tantum curauit adultam
sed pueris etiam consuluisse studet.
Aetatiq; rudi spatiosas dedicat ædes,
E quibus assidue dogmata sancta petat
At gerit id toto sibi suffragante senatu,
Cumq; alijs laus est participata minor.
Quidē quod et ipse suis priuatis sumptibus auxit,
Prieriæ reditus suppetiasq; scholæ.
Nec præceptores doctos minor impulit illum,
Atq; sacerdotes cura fouere pios.
Hoc fuit officium laudati consulis, urbi
Sic demum recte profuit ipse suæ.
Hunc ergo ueluti communem flere parentem,
Commoda qui ludi sensimus ulla, decet.

Nosq;

Nosq; uiri porro laudes celebrare requirit,
Auspice quo cœpit diua Minerua coli.
Nostra sed haud æquant meritum præconia tantum,
Est impar nostris uiribus istud onus.
Angelicus coetus modo sint pia numina cœlo,
Illius officijs præmia digna refert.

Aliud.

Hoc ego qui iaceo Cassarus marmore tectus,
Iura dedi consul ciuibus æqua meis.
Parthenica uitam grandæuus in urbe reliqui,
Si uitam tribuit terra, nec astra beant.
Ad Calliopeiam, ut clarissimum uirum ac
I. V. absolutis. Doctorem Leuinum ab
Embden, senatus Magdeburgen-
sis Syndicum, ob immatu-
ram filii mortem con-
soletur.

Calliopeia ueni, non te Sidonide concha
Ebria Palla tegat, sed lachrymosa ueni.
Sed lachrymosa ueni, tunicaq; incingere pulla
Atq; tua præfer tristia signa manu.
Flagitat hoc tempus tua cum charissima proles
Occidit, hunc habitum corporis esse tui.
Filius impositus gelida Ioachimus in urna
Pertulit ætatis fata suprema suæ.
Sacrorum cultor iuuenis fuit ille tuorum,
At studij casto uicit amore senes.
Dedecet ergo grauem uestis speciosa ruinam,
Se iactet

Se iactet niueo leta colore cohors.
Te nunc atra decent, tu uestibus utere pullis,
Dum sobolem mœres interiisse tuam.
Sed uetus optamus tua sit facundia præsens,
Sit tamen ex æquo lingua diserta tua.
Namq; minus fuerit natus lugendus ademptus,
Pectora quam mœsti constituenda patris.
Ille deos adiit morbo consumptus atroci,
Hic altum tristi funere uulnus alit.
Illius optato sors est lætissima fine,
Iniicit huic casus tela cruenta nouus.
Est igitur genitor dictis solandus amicis,
Muneris hoc fuerit Calliopeia tui.
Haud alius poterit solantia dicere uerba,
Huic aliqua tanto cum grauitate uiro.
Præses enim comitum clarissimus ipse tuarum,
Quid mœstis prosit mentibus usq; uidet.
Non fuerit promptum cuiuis adhibere medelam,
Aeger ubi medicus perspicit ipse malum.
At quæcumq; queant solamina fingere ciues,
Aut è diuina Pallados arte peti.
Hæc illi longo prudentia suggerit usu,
Omnia uel iuueni nota fucere uiro.
Non igitur fuerit communi more monendus,
Verborum forma scis opus esse noua.
Nil duxisse mali secum si fata probaris,
Rebus at afflictis imposuisse modum.
Fœlicem soboli mortem si dixeris illi,

Cuius

Cuius supplicium uita perhenne foret.
Illa quidem fuerint mœstæ leniminæ mentis,
Sed tamen haud isto sunt adhibenda loco.
Namq; uir ipse sapit, natumq; scit esse beatum,
Et mutasse suis tempora læta malis.
Rursus & Aonidum studijs si iusseris illum,
Tristitiæ nubem dissimulare suæ.
Ac de doctrina qua seq; suosq; decorat,
Pharmaca uulneribus conciliare suis.
Quæq; dies alijs tandem medicamina præbet,
Hæc ut ei properè mens moderata ferat.
Tunc quoq; formidem ne tu uideare decori,
Fronte uelut posita non meminisse satis.
Firmat enim sese, sensuq; sagace redundat,
Consilijs urbes erigit ipse suis,
Cumq; tot emineat uirtutibus, est metus ingens,
Personam monitor ne dubitantis agat.
Ergo inquis quid agam? si nec firmabo dolentem,
Nec referam quo sit mens animanda modo.
Exponam breuiter, si de cœlestibus unam,
Aures mortali non tribuisse pudet.
Tu dea supremo semper uicina Tonanti,
Dum mulces superum uoce lyraq; chorum.
Scis, etenim coram uidisti cœlica regna
Ingressum iuuenem, qui Ioachimus erat.
Conuenias dulci quæso sermone parentem,
Atq; illi coram nuncia læta refer.
Gaudia sola refer, solatia nulla recense,

Dic,

Dic, dea sum testis, dijs Ioachimus adest.
Quod licet ipsa sciat, nec nos dubitare queamus,
Quin Christus iuuenes seruet ametq; pios.
Te tamen è cælo poterit uel firmior esse
Teste, uel admota letior esse potest.
Quin etiam factò tibi nos deuinxeris isto,
Officijs quotquot promouet ille suis.
Epitaphium eximix indolis adolescentis
Ioachimi ab Embden Magdeburgen-
fis scholæ alumni.

Contegor hoc tumulo proles Ioachimus ab Embden,
Nunc gelidum corpus qui modo uiuus eram,
Chare pater, Musæq; nouem, mœstiq; sodales,
Quos colui sancta mente, fideq; puer.

Ora precor nullis lachrymis confundite uestra
Prostrati casum neue dolete mei.

Dum uixi, morbo semper cruciatus amaro,
Mœrebam lentè fata uenire mea.

Ergo mihi munus mors est, gaudete sodales,
In Christi letus nunc ego uiuo sinu.

Aliud autore Martino Copo.
Viribus infirmus mihi dum mea uita manebat,
Ast animo præstans ingenioq; fui.

Nempe ego non terræ, cæli sed natus ad aulam,
Ut uixi breuius, sic morior citius.

εἰς τὸ αὐτόν.

ἐνθάδε τῷ κεφαλῷ ἰωαχίμου γαῖα καλύπτει,
Ἄλλ' ὅσιω ψυχῷ ἄνεσθ' Ὀλυμπῷ ἔχει.

Epitaphium

**Epitaphium integerrimi iuuenis Othonis
Vestphali bonarum literarum apud
Magdeburgenses professoris**

Lacte suo tenerum me fouit Vestphala nutrix,
Mortuus Albiacæ condor in urbis agro.
Hic ubi Mecœnas meus est Vlricus ab Embden,
Præses honestatis Fierijq; chori.
Illius ergo uiri motus pietate benigna,
Ingenua docui pignora chara fide.
Mors crudelis hero me sola diremit ab illo,
Meq; ministerio fecit abesse meo.
Nil queror ipse meam nunc obrutus aggere sortem,
Huic mea quòd fraudi funera sint, doleo.

τέλος.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13 B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

